

in alienum à meo sensum contortæ, ex dictis, & calumniis adversariorum, quod Apostolica æquitatis non est, magis quam ex mente, scopo, proposito, institutoque meo æstimarentur. Utinam verò possem

SANCTITATI VESTRÆ plenam, & apertam fidei, doctrinæque meæ rationem coram reddere! Non me sanè locorum distantia, non itinerum difficultas, non asperitas viarum, non pericula, non insidiarum metus deterrerent: Sed homini ætate jam affectâ, & propemodum Octogenario temerarium esset, tantum, & tam arduum iter suscipere, in quo procul dubio ante descierem, quam Urbis sanctæ conspectu perfrui liceret, & sacris Apostolorum liminibus allabi. Horum igitur veneranda vestigia, simulque BEATITUDINIS VESTRÆ, SANCTISSIME PATER, toto mentis, & cordis affectu humillimè exosculor, & quod possum, religiosè, & cum omni observantiâ contestor, me & fuisse semper, & ad ultimum usque vitæ spiritum semper futurum, Ecclesiæ Fidei, Catholicæ unitati, Sedis Apostolicæ auctoritati, ac primatui addictissimum, & SANCTITATIS VESTRÆ cultorem observantissimum. Cujus Apostolicam benedictionem suppliciter postulo cum ea reverentia, ac sincera veneratione, quæ fidelem Ecclesiæ Catholicæ Alumnum, Christiani- que Sacerdotii participem decet. Ut Deus Optimus Max. SANCTITATEM VESTRAM Gregi suo diutissimè servet incolumem ex animo optat, & vovetque SANCTITATIS VESTRÆ, BEATISSIME PATER, Humillimus, obedientissimusque filius, ac famulus, Paschasius Quesnellus, nel, Parisiensis Diocesis Presbyter indignus,

Quesnello nulla obijcio crimina præter scripta sua, quæ, si sua esse negaverit, pariter negare poterit solem lucere in meridie. Non existimo tamen fore, ut illum à me sibi imputatum opus, à se scriptum inficiari audeat, aut velit. Franciscus Simonis Tractatu de fraudibus hæreticorum parte 2. fraude 12. *Exposultationibus*, inquit, hæreticorum honori, & fama suæ detrabi exclamantium, dum sua sibi dogmata adscribuntur, nè commoveare, Lector Christiane. Quæ sua agnoscunt dogmata, aspersa libro, eadem sua inficiantur recitata, aut descripta è libro. Inficiantur vero, donec erit tutum agnoscere. Tantisper famam sibi famam, ejulant fraude pessimâ. Fame Hæreticorum qui studet, is frustra est: famam illis prostituerunt libri sui.

Si igitur ex scriptis suis Author convincitur de omnibus, quæ ei toto præsentis opere imputantur, omnibus querelis ejus facile respondebitur, famam illi prostituisse libros suos. Unde quidquid de adversariis suis, velut nimium contra se asperis, queratur Quesnellus, ut Abaillardus de Melliflavo, sperare nobis liceat, fore ut supremo Ecclesiæ Pastori, & ejus in terris Vicario zelus noster non displiceat, quemadmodum non displicuit Bernardi, cui Innocentius epistolâ, quæ apud Bernardum est 194. sic respondit: *Dolemus, quoniam, sicut literarum vestrarum inspectione, & missis à vestra Fraternitate nobis errorum capitulis cognovimus, in novissimis diebus, quando instant tempora periculosa, in Petri Abaillardi perniciosâ doctrinâ, & prædictorum hæreses, & alia perversa dogmata, Catholica Fidei obviantia pullulare ceperunt. Verum in hoc maxime consolamur, & omnipotenti Deo gratias agimus, qui in partibus nostris pro patribus tales filios suscitavit... qui novi hæretici calumniis studeant obviare.*

Etsi autem verissima sint quæcunque Quesnello aliunde, quàm ex *Observationibus Moralibus* obijcimus, securus tamen esse poterat ex perpetuo Sedis Apostolicæ usu, in propositionum examine non attendi probitatem, vel improbitatem Authoris, ut in Cameracensis Archiepiscopi integerrimi placitis condemnatis patuit; sed judicari de libris, & propositionibus secundum obvios eorum, & proprios sensus, in quibus ab Ecclesia intelliguntur, & juxta quos prodesse, vel nocere solent animis legentium. Mens, scopus, propositum, institutumque Authoris præsumitur, quod ejus verba in obvia, & propria significatione denuntiant. Hanc normam ut semper aliàs secuta est Apostolica Sedes, etiam hic eam tenuisse Catholicis omnibus indubitatum est. Si aliud venditare perrexerint Jansenistæ, Lutheranis, & Calvinianis suffragantibus, meminerint morem esse malæ causæ patrocinantium, ubi rationes solidæ eis defunt, figmentis istiusmodi, & inanibus suspicionum umbris defendere iniquitatem.

Quàm parum autem verisimile est, quod Quesnellus comminiscitur, se unice in votis habere, ut possit Sanctissimo D. N. fidei, doctrinæque suæ rationem coram reddere, quod non eum pericula, non insidiarum metus, aut alia deterrerent: sola obsit affecta ætas, quæ procul dubio ante descieret, quàm Urbis sanctæ conspectu perfrui liceret, & Sacris Apostolorum liminibus allabi! Walonus Quesnelli in Urbe Agens, aliquantò ante conspiciatus, sibi tutam non esse ampliùs commorationem